

www.e-rara.ch

**Disputatio philosophica, referens Aristotelis sententiam de
providentia Dei**

Zwinger, Johannes

Basileae, [1658?]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-23085>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Diss. 436, N. 12.
Catalogus

DISPUTATIO PHILOSOPHICA,
referens

ARISTOTELIS
SENTENTIAM DE PRO-
VIDENTIA DEI.

Quam,
S. S. TRIADE adjuvante,
PRÆSIDE,

JOHANNES ZVINGERO,
Lib. Art. Mag. & Linguae Græcæ in Academiâ
Basileensi Professore ordinario,

publicè, pro virili, defendet
CHRISTOPHORVS BYRCKHARDVS,
Basileensis.

Ad diem 29 Jan. Ann. M DC LVIII.
Horis locoque solitis.



BASILÆ, Typis GEORGII DECKERI,
Universitatis Typographi.





V I R I S

ADMODVM REVERENDIS,

Clarissimis, atq; Excellentissimis,

DN. ABDIÆ WIDMARIO, S. S. Theol. Doct.
ejusdemque Facultatis in illustri, illustrium ac
præpotentum D. D. Ordinum Gröningæ &
Omlandia, Academiâ Professori celeberrimo,
& Verbi D. Ministro fidelissimo,

DN. MATTHIÆ PASORI, S. S. Theol. Doct.
ejusdemque Facultatis, ut & Philosophiæ Mo-
ralis, in eadem Academiâ Professori longè
meritissimo;

NEC NON

VIRO EXCELLENTISSIMO, CLARISSIMO
ac Literatissimo,

DN. ADRIANO HEEREBOORD, L. Art. M.
& Philosophiæ in celeberrimâ Academiâ
Lugduno-Batavâ Professori primario,

*Fautoribus, Patronis & Mæcenatibus suis
æviternum venerandis & suspiciendis,*

Disputationem hanc pro Aristotele apologeticam,
in debitæ observantiæ *σημειον*, gratitudinisq;
ob varia accepta beneficia, *τεκμηριον*,

dicat & consecrat.

JOHANNES ZVINGERVS.



DECISIO QVÆSTIONIS,
*Quænam fuerit Aristotelis sententia
de Providentiâ DEI circa
hunc Mundum?*

Virtutem semper habere invidos, docet experientia, testatur exempla quàm plurima. Hinc Cicero inter alia *Lib. 4. Rhet. ad Herenn.* ait: *Virtutis comes invidia, plerunque bonos insectatur.* Quod, quemadmodum omnibus seculis singuli ferè pii, virtutis amantes, fuerunt experti, ita ipsum quoque Aristotelem iis esse accensendum, in propatulo est. Dum enim omnibus modis conatus fuit Augiæ variorum Philosophorum stabulum è fontibus saniorum rationum abluere & expurgare, atque ita puriorem Philosophiam posteritati relinquere, ecce! omnia cōtra ipsum, licet innocentem, concitata fuerunt fulmina atque tonitrua, ejusque doctrinæ innumera horrenda ac blasphema dogmata afflicta, ac si vid. æternitatem Mundi propugnasset; singularia, fortuita & sublunaria Divinæ Providentiæ subtraxisset; Dei ubi-quitatem, & animæ humanæ immortalitatem negasset; fabulis anilibus annumerasset, quæ de præmiis & pœnis post hanc vitam vulgò creduntur; Deo abrogasset omnem libertatem in agendo, Mundumque ab ipso nec creante, nec volente, nec cogitante, quâpiam necessitate naturali prodiisse fabulatus fuisset; nec Dæmones, nec Angelos credidisset, præter septem vel octo Intelligentias motrices, & alia; ut vid. bona ejus fama

læderetur, Homines ab ejus Philosophiâ, tanquàm Iernâ
omnium penè hæresium, absterrentur, atq; ita totus Aristoteles, cum omnibus suis scriptis, publico Mundi prostituere-
tur ludibrio. Cùm autem innocentia Aristotelis probè mihi
sit cognita atque perspecta, ac in his & aliis, qui ipsi adscri-
buntur, erroribus haud levem eum pari injuriam nullus dubi-
tem, nemo, uti spero, mihi dicam scriber, quòd secundâ hâc
vice ejus in me susceperim defensionem. Ac sicuti quo-
cunque tempore Aristotelem nostrum varii nominis & doctri-
næ ipsius osiores, ac infensissimi Adversarii, misèrè paratragæ-
diarunt, ita è contrariò non defuerunt unquam Viri doctissi-
mi, qui, quantum fieri potuit, ipsum vindicarunt, & ab ejus-
modi erroribus liberarunt; inter quos inprimis refero Philo-
sophum, toto Orbe decantatissimû, *Julium Cæsarem Scaligerum*,
qui in suis *Exercitationibus* unicum videtur admiratus fuisse
Aristotelem. Huc quoque pertinet memorabile & notatu-
dignum de Aristotele nostro judicium *Julii Castellani Faventi-
ni*, quod occurrit in ejus *Commentar. in Aristot. Libr. de Humano
Intell. p. m. 20.* quando inter alia ita scribit: *Perfectam incredibi-
lemq; Aristotelis in omnibus rebus eruditionem, verèq; Divinum ejus in-
genium ita admiror, ac tanti facio, ut hæc nostra tempora felicissima esse
censeam, in quibus Aristoteleâ doctrinâ, cæteris omnis Philosophis, animi
potissimum excoluntur, omniaq; evolvuntur, ea diligenter, quæ iste
cunctorum hominum, quos natura unquam gignere potuit, sapientissi-
mus, in omni Disciplinarum genere ita peritè ac ingeniosè monumentis
literarum mandavit. Hæc & alia probè animadvertit Lilius Gre-
gorius Gyraldus Dial. 3. de Poet. Hist. p. m. 104. dum Aristotelem
omnis Philosophiæ coryphæum appellare non erubuit. Invideant, er-
gò, quicunq; volunt, Aristoteli hanc gloriâ, varias in ipsum
conspuant calumnias, anathematis eum feriant fulminibus,
exclament ad ravim usque, ipsum fuisse *μωρόσσοφον*, nuncu-
pent eum *Cacodæmonem*, *Parricidam*, *adulatorem*, *ingratum
cuculum*, *Rixatorem*, *nugacissimum*, *Proditorem Patriæ*, *foeti-
dum Pharmacopolam*, *fastosum Maximum*, *hominè atheum*,
ambiciosum, *avarum*, *libidinosum*, *ebriosum*, *luxoriosum*, *con-
tentiosum*, *senticosum*, *umbrosum*, *scabrum*, *superstitiosum*,
desperatum; varia tandem ipsi affingant dogmata erronea;
omnes*

omnes tamen cordati & sanæ mentis, hæc, tanquam fulgura
è pelvi, naso suspendent adunco, ac de eo loquentes semper
unà cum Poëtâ canent:

*Dumq; thymo pascentur apes, dum rore cicadæ,
Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.*

Item,

Nulla ferent talem secla futura Virum,

quo ipso versu Aristoteles Præceptorem suum, Platonem, ho-
norasse fertur, animadvertente Gyrardo, *loc. cit.* & Joh. Francisc.
Pico Mirand. in *Proem. Libr. 4. Exam. Doctr. & Van. Gent. p. m. 659.*

Hęc tamen nõ ided scribo, ac si Aristoteles pro Christo, Aver-
roës pro Petro, Alexander pro Paulo esset habendus, quemad-
modum Melchior Canus, Episcopus Canariensis, *Loc. Libr. 10.*
hoc suis Scholasticis objecit, annotante Celeberrimo Theo-
logo nostri seculi, D. Samuele Maresio, in *Orat. suâ de Cau-
ponis vitandis, p. 4.* sed tantum, ut Aristotelem ab ejusmodi pra-
vis & sinistris de ipso suspicionibus liberarem, simulque, quæ-
nam ejus fuerit sententia de gravissimis quibusdam quæstio-
nibus, demonstrarem.

Non ita pridem hujus defensionis feceram initium, & firmis,
ut spero, rationibus asserueram ejus orthodoxiam in Doctrinâ
de Mundi ortu. Placuit igitur secundâ hâc vice ad sequentia
progredi, & declarare, quid statuerit de Providentiâ Dei circa
hunc Mundum. Quod, ut eò meliùs percipiatur, referam pri-
mò aliorum opiniones; postea verò propriam meam propo-
nam, eamque ex Aristotelis scriptis confirmabo.

I. Quidam statuunt; Providentiam Dei, secundum Aristo-
telem, se tantum extendere usque ad Lunam, & non ulteriùs.
Cui sententiæ subscripserunt Clemens Alexandrinus, *Libr. 5.
Strom. p. m. 659.* Diogenes Laërtius in *Vitâ Aristot. p. m. 159.* Sa-
muel Maresius *Orat. de salute Aristot. non asserendâ, p. 24.* & alii.
Hujus rei fundamenta proponunt duo:

1. Quia David dicat *Psalm. 38. 6. Jehova usq; ad Caelos miseri-
cordia tua, & veritas tua usq; ad nubes.*

2. Quia Deus sit Deus ordinis, quia sit immutabilis, inva-
riabilis, ided tantum regere ordinata, immutabilia invariabilia.

Hæc autem tantum esse coelestes illos globos, qui certo & invariabili tenore perpetuò circumagantur. Reliqua autem sub-lunaria esse incerta, inordinata, assiduo tumultu agitata, perpetuis generationibus & corruptionibus obnoxia, quæ idcir-cò certam & immutabilem Dei Voluntatem sequi nequeant.

Censura. Hanc Aristotelis fuisse sententiam, hanc opinio-nem, has ipsius rationes, hæc fundamenta, unde nobis Adver-sarii probabunt? Demonstrant saltem unicum ex Aristotele locum, quo illa contineatur, defendatur, approbetur, & allatis rationibus confirmetur. Heic Rhodus, heic saltus!

Quod *primam* rationem attinet, ea 1. uti dixi, apud Ari-stotelem non reperitur, quocirca tanquam Aristotelica vitiosè nobis obtruditur. Nullibi legitur Aristoteles in sententiæ suæ patrocinium ullum locum S. Scripturæ adduxisse, cum dubium adhuc sit, an quosdam libros Vet. Test. in suâ manu habuerit. Quanquam de eo tantoperè litigare nolim, sed contrarium potiùs, tanquam verisimilius, judicem. Clearchus enim, Aristotelis Discipulus, & Peripateticorum nulli secun-dus, teste Josepho *Libr. 1. contr. Apion.* & Lippio *Proleg. in suam Metaph. magn. p. m. 11.* conspexisse se, ait, Judæum, cujus Aristo-teles fuerat Discipulus, magnam præterea & admirabilem il-lius Judæi vitæ continentiam & frugalitatem narrans, uti vi-dere est ex ejus *Libr. 1. de Somno.* Probabile igitur est, Judæum hunc, ut fidelitatem suam, tanquam Præceptor, erga Aristote-lem, tanquam Discipulum, eò magis demonstraret, Libros S. Scripturæ, quos quidem tunc habere licuit, ipsi tradidisse, ut eò meliùs in arcana Philosophiæ penetrare, & errores suos ex iis corrigere atque emendare posset. An autem eos, tanquam Divinos, receperit & agnoverit, iisque fidem in omnibus, Phi-losophica saltem concernentibus, adhibuerit, malo ἐπέχειν, quàm certi quid asserere: Si non fecit in omnibus, saltem in quibusdam id præstitisse videtur.

2. Sed ut aliquid quoque ad locum, ex *Psalm. 36. v. 6.* addu-ctum, respondeam, dico, illum esse ἀπερὶ θένον, impertinentem, & contrarium potiùs ex eo colligi, vid. infinitam esse bonita-tem atque veritatem Dei, ac si David diceret: *Quis potest vel ani-mo comprehendere, vel linguâ effari bonitatem Dei? Quis satis potest laudare,*

laudare & celebrare ipsius veritatem, quam in servandis promissionibus demonstrat? Tanta est ejus bonitas, tanta veritas, ut neq; Caeli Caelorum, neq; nubes eam possint comprehendere, & intra suos limites atq; cancellos continere. Hanc esse genuinam hujus loci interpretationem, ex scopo Davidis elucescit. In superioribus enim demonstravit statum piorum hominum, quod vid. præsentibus calamitatibus, quando vident impiis omnia juxta votum succedere, è contrario pios quotidie maximas sustinere persecutiones, variis malis affici, dubitent de Providentiâ Dei, an sit quoque aliqua circa hunc Mundum; quia optimè norint, Justitiæ Divinæ esse, homines sceleratos punire, & bonis tranquillitatem præstare. Hinc, quia, ipsorum judicio, hoc non faciat, videri Deum, quasi otiosum, spectare res humanas, nec ullâ earum curâ affici. Ipsum quoque Davidem his tentationibus fuisse obnoxium, patet ex querelis præcedentibus. Ut igitur eas ex animo suo, & omnium fidelium, expelleret, erumpit in istam exclamationem: Jehova usq; ad Caelos bonitas tua, & Veritas tua usq; ad nubes. Justitia tua sicut montes Dei: judicia tua abyssus magna: Hominem & jumentum servas Jehova. Quàm pretiosa est bonitas tua Deus! Itaque filii hominum in umbrâ alarû tuarum confidunt. Quibus verbis demonstrat, quocunque homo vertat oculos, vel fursùm, vel deorsùm, tamen omnia mirabili Dei Providentiâ gubernari. Et quamvis magna abyssus scelerum inter homines exundet, tamen majorem esse Providentiæ Divinæ abyssum, quâ justè omnia disponat atque gubernet, quamque neque nubes, neque Caeli Caelorum capere possint.

Quod rationem secundam attinet, dico iterùm, eam non esse Aristotelicam. Monstretur nobis liber, citetur caput, nuncupetur textus, & tunc subscribemus.

Ipsa autem ratio, in se considerata, est nulla: Non sequitur, Deus est Deus ordinis, est immutabilis, est invariabilis. Ergo ipsius Providentiæ sunt tantùm subjecta ordinata, immutabilia, invariabilia: sicuti non sequitur, Deus est Spiritus. Ergo ipsius Providentiæ subjecta tantùm sunt spiritualia. Deus est immunis ab omni peccato. Ergo peccata nullo modo ipsius Providentiæ subsuât. Deus est Ens simplicissimum. Ergo ipsius Providentiæ tantùm ad simplicia, & non composita, se
exten-

extendit. Quanquam, *secundò*, multa nobis videantur inordinata, deformia, quæ tamen Deo sunt ordinatissima, pulcherrima. Tàm imbecillis est noster intellectus. Tàm exiguum nostrum iudicium.

Et in summâ, quomodo, quæso, Aristoteles sublunaria subtraxisset Providentiæ Divinæ, qui tamen expresse statuit, ea à cœlestibus corporibus assidue alterari, uti patet ex *Lib. 2. de Ort. & Inter. Cap. 1.* ubi ait, *adventante Sole generationem excitari, eodemq; recedente interitum invehiri, ac utrumq; pari temporis circumscriptione agi.* Ita *Lib. 2. Phys. Cap. 2. Text. 26.* dicit, *Hominem & solem hominem generare.* Pariter *Lib. 12. Met. Cap. 6. Text. 34.* quia in his inferioribus cernamus tempora contraria æstatis & hyemis, Veris & Autumni, varietas autem hæc non possit provenire à solo uno motu uniformi, aliud agens necessarium ponendum esse asseverat, à quo huiusmodi contraria tempora proveniant, quorum alia ad generationem rerum pertineant, alia ad earum corruptionem. Quæ causa apertissimè Sol est, quia ejus accessu fruges gignuntur, adolescunt & maturantur, aliaque omnia quasi reviviscunt & convalescunt; ejus autem recessu contrarios patiuntur motus. Videatur quoque *Lib. 4. de Gen. Anim. Cap. 10.* ubi idem claris & dilucidis verbis demonstrat.

Quanta ergo fuisset infania, quanta absurditas, dicere, Deum noscere Cœlum, ignorare ea, quæ mediante Cœlo gubernant? Quanta dementia, asserere, artificem instrumentum cognoscere, nescire autem, quæ per illud efficit? Hoc igitur

II. Alii prævidentes, & ne in hunc scopulum impingerent, metuentes, dicunt, Deum rerum tantum in universali cognitionem habere, specificas tantum naturas intelligere, iisque providere, & eâ ratione hæc certa invariabiliaque æterno tempore permanere. Res ergo omnes quoad naturam communem tantum gubernari, actionemque illius circa easdem immutabilem esse; singularia autem sublunaria Divinam Providentiam effugere, tum ob materiæ fluxum, & indeterminatam naturam, tum ob arbitrii humani libertatem. Hanc opinionem, secundum Averroëem & Alexandrum
Aphro-

Aphrodisiensis, fuisse Aristotelicam, monet Joh. Baptista Pona in sua Diatriba de rebus Philosophicis, p. m. 74.

III. Cicero in Lib. de Fato, Oper. T. IV. p. m. 266. putat, Aristotelem, cum Democrito, Heraclito, & Empedocle, censuisse, omnia ita fato fieri, ita, ut illud fatum vim necessitatis afferat. Ciceronis ὁμολογῶν est Petrus Pomponatius Lib. 3. de Fato, Cap. I. dum ait: Tenet Aristoteles, Deum de necessitate agere, & omnia secundum speciem, quæ sunt esse necessaria.

IV. Tandem Thomas Aquinas, qui vulgò à Doctoribus Pontificiis Doctor Angelicus salatur, statuit, secundum Aristotelem tam singularia, quàm universalia, esse Providentiæ Divinæ subjecta, sed tamen non necessariò à Deo regi, aut Deum, liberrimè cum agat, posse, quandocunque velit, ab ejusmodi actionibus desistere. Hanc sententiam, secundum Thomam, esse Aristotelicam, monet Pona, Lib. cit. p. m. 74, 75. quæ à me non rejicitur; attamen Aristotelis mentem non plenè atque sufficienter explicare videtur.

Et hæc sunt ferè, quæ à variis Authoribus Aristoteli, meo quidem judicio, attribuuntur.

V. Quid autem ego impræsentiarum de propositâ questione sentiam, aliquot assertionibus demonstrare conabor.

I.

Aristoteles non solum cœlestia, sed etiam sublunaria omnia Divina subjecit Providentiæ. Probatur hæc nostra Conclusio ex variis Aristotelis locis, & quidem ante omnia ex Lib. 10. Eth. ad Nicom. Cap. 9. ubi asserit, Dei Providentiam se quoque extendere usque ad res humanas, dum ait: Εἰ γὰρ τις ὑπὸ τῆς προνοίας τῶν ἀνθρώπων ὡς τῶν ζώων (ὡς περὶ δοκεῖ) &c. i. e. Nam si Dei immortales curam aliquam habent rerum humanarum (quemadmodum verisimile est) Ita Lib. 2. Met. Cap. I. Text. 4. dicit: Illud, quod est maximè ens, & maximè verum, est causa omnis Entis. In quo loco Deum principium & causam omnium Entium, & actionum constituit, cum quibus Deus concurrat, monente, juxta Raynaudi opinionem, Lalemander, Decis. Phil. Tom. II. Disput. 4. Partit. 4. Clyp. I. p. m. 149. Huc quoque alludit Lib. 7. Phys. Cap. I. Lib. 8. Cap. 5. Lib. 2. Met. Cap. I. perpetuò nobis obtru-

dens vulgatum illum Canonem: *Quicquid movetur, ab alio movetur*, & tandem devenit ad primum Motorem vid. Deum, absque cujus influxu nullam causam inferiorem, seu secundam, aliquid posse agere, non obscurè innuit. Memorabilis quoque occurrit locus, *Lib. 1. Oec. Cap. 3.* ubi ait, *Divinâ Providentiâ Viri & Mulieris societatem esse ordinatam*; ut & *lib. 7. Eth. ad Eudem.* ubi inter alia *Oper. T. 3. p. m. 260.* ita scribit: *Patet autem, sic esse, quemadmodum in universo est Deus, & vicissim cuncta in illo: moventur enim omnia ab inexistente in nobis numine. Rationis autem non est ratio, sed prestantius quidpiam est principium. Quid autem scientia prestantius est, nisi Deus, &c.* Sed quid opus pluribus? Annon clarissimè *Lib. 2. de Gen. & Corr. Cap. 10. Text. 59.* dicit, Deum ita complevisse hoc universum, ut continuam efficiat generationem? Huc quoque faciunt loca, suprâ citata, quibus Aristoteles demonstrat, corpora Cœlestia in hæc inferiora influere; adeoque, quia Adversarii concedunt, Dei Providentiam versari circa Cœlestia, necessariò quoq; asserendum esse, sublunaria etiam illi esse subjienda.

Ad Locum ex *Lib. 10. Eth. ad Nic. Cap. 9.* & ejus similes, respondet Antonius Bernardus Mirandulanus, Episcopus Casertanus, in *Everf. singul. certam. Lib. 28. Sect. 2.* Aristotelem hæc dicere, non ex ratione naturali, sed ex creditis. Et ob hanc causam, ait, nos in secundo Libro de Honore diximus, Aristotelis dicta bifariam considerari posse: uno modo, ut naturaliter loquitur: alio modo, ut moraliter: & quòd opinabatur, Deum curam horum inferiorum ac providentiam gerere: non, ut assereremus, ostendi hoc posse ex morali philosophia, quæ ex via naturali proficiscitur: sed ut admoneremus, Aristotelem his dictis multò magis usum fuisse in morali, quàm in naturali Philosophia, &c.

Resp. 1. Posito, in allegato ab ipso loco *Lib. 10. Eth. ad Nic. cap. 9.* Aristotelem loqui ex creditis, dùm ait: *ὡς περ ἰσχυρῶς*, ut vulgò videtur, existimatur, creditur, tamen non sequitur, Aristotelem ipsum ejusdem non fuisse opinionis. Certè, plurimis in locis, ubi loquitur ex creditis, ejusdem se esse sententiæ, vel in præcedentibus, vel in sequentibus, vel in ipsis verbis clarè innuit, uti mox è Libro de Mundo demonstrare conabimur.

2. Nego, Aristotelem in dicto loco loqui ex creditis; neque id
ex ver-

ex verbo *λογεῖ* extundi potest, cum potius rei summa evidentia eo denotetur, uti inter alios animadvertit Augustinus Steuchus Eugubinus Lib. 4. de perenni Philos. cap. 7. ita scribens: Quoties apud Aristotelem invenies *λογεῖ*, videtur, scito, non levem, sed evidentem apparentiam denotari. Videtur, id est, apparet, ostenditur, claret, cognoscitur Deus esse principium causarum omnibus rebus, &c.

Clarissimum autem & firmisimum sententiæ nostræ patrocinium quoque depromimus ex ejus Lib. de Mundo, in cujus cap. 6. inter alia ita disserit: Itaque, vetus fama est, & quidem hereditaria Mortalium omnium, universa à Deo, & per Deum nobis esse constituta. Nec verò ulla natura per se sufficit orbata salute: quapropter veteres nonnulli adducti sunt, ut dicerent, hæc omnia Deorum esse plena, i. e. quæ oculis obversantur, quæ famâ & auditione accipiuntur, quæ denique omni alio sensu comprehenduntur, cum verba ejusmodi accommodent, quæ Divina quidem potestati conveniant, sed ab illius natura longè aliena sunt. Deus enim sine dubio SERVATOR OMNIUM est, & Parens eorum, quæ in Mundo conspiciuntur, &c. Et paulò post: Itaque rectius est judicare, quod etiam conveniens, & Deo maximè decorum intelligitur, in Cælo virtutem esse constitutam, & plurimum remotis, ut uno verbo rem absolvam, & omnibus in universum salutem asferre, quàm penetrare, & eò frequenter accedere, ubi nec honestè, nec liberaliter ipsa per se conficeret, quæ apud nos essent. Item: Imò gravius & decentius existimabimus, ipsum constitutum esse summo in loco, & virtutem ejus per universum orbem diffundi, Solem & Lunam versare, & Cælum totum convertere, auctoremque esse salutis rerum, quæ terra contineantur. Alia quoque clarissima ibi continentur loca, quæ omnia asferre opus non est. Saltem ex his patet, quanta Aristoteli nostro fiat injuria, dum ipsi absurdissima hæc sententia adscribitur, ac si sublanaria Providentiæ Divinæ subtraxisset.

Quia autem Liber hic Aristotelis à multis in dubium vocatur, ac si Aristotelis non esset, sed ab alio quodam Authore sub ejus nomine evulgatus fuisset, age, afferamus argumenta, quibus, eum Aristotelis esse, Adversarios convincamus, quod sententia nostra magis corroboretur, confirmetur. Rationes, quibus freti, Aristoteli hunc Librum adscribimus, nobis impræsentiarum sunt duæ:

RATIO I. Quia ipse Alexander M. Rex Macedoniæ, cui hic Liber inscriptus est, reprehendit & carpit Aristotelem in quadam Epistola, quod Librum hunc in lucem edidisset. Ait enim: *ἐκ ὁρῶνς ἐρωτῶντας, ἐκδίδας Ἀκροατικὸν λόγον*: Non rectè fecisti, emittens Acroamaticos sermones. In quibus

verbis τὸ κοινὸν nihil aliud esse, quàm emittere, evulgare, è causa querelæ Alexandri ἐκδηλον est. Idè enim Præceptorem suum reprehendit, quòd Libro hoc Doctrinam suam, in qua addiscenda tot annos absumperit, toti Mundo communem fecisset. Inquit enim: Εἰ καὶ ἔς τῶνδε δὲ ὅλην λόγους ἔτι πάλιν ἐποίησεν, i. e. Si sermones ii, secundum quos nos sumus eruditi, omnibus erunt communes.

Sed unde, inquis, constât, per Acroamaticum hunc sermonem Librum de Mundo esse intelligendum?

Resp. 1. Quia non possunt Libri 8. *Physi. Lib. 14. Metaph.* aut alii similes intelligi. Nam ut rectè monet Franciscus Patricius *Discuss. Peripat. Tom. I. Lib. 6. p. m. 68.* nihil in iis continetur, quod Regio muneri inservire possit, aut cum oblectare & instruere, sed potius talia, quæ etiam studiosissimis, & iudicii acrimoniâ, ingenii quæ acumine præstantissimis nauseam pariant, ac tædium incuriant. 2. Hinc potius *Liber de Mundo* venit intelligendus: quia 1. in eo tùm Divinam, tùm Naturalem Philosophiam, Doctrinas scilicet secretiores Acroamaticas, per Compendium, Regio vid. otio atque negotio accommodatè tradidit. Quis enim non videt, eleganter & perspicuè eum ibi disserere de Mundo, ejusque partibus, de ipsarum ordine, de Geographia, Aëris passionibus, Providentiâ Divinâ, & aliis? quæ omnia Regi, Populorum rectori, Exercituum duci, apprimè conducunt, scituque necessaria sunt. 2. Quoniam Alexandri nomen præfert. Adeoque potius hic, quàm Libri *Metaphysici* vel *Physici*, intelligendus, qui ne umbram quidem Alexandri vel nominis, vel studii continent.

Quia igitur Aristoteles tam brevi Compendio, styloque, quàm ut facere solebat, dilucidiori, magisque perspicuo, totam quasi Divinam & naturalem Philosophiam ibi tradiderat, ab Alexandro fuit reprehensus, quòd hanc suam Doctrinam, ad quam perfectè addiscendam tantum temporis hætenus contulerit, toti, uti dixi, Mundo communem fecisset.

Animus quidem hic Aristoteli non erat, quemadmodum expressè testatur in *Epist. ad Alexandr.* ajens: διότι μὴ θεῖν αὐτὸς φυλάσσειν ἐν δόμοις, ἐξέstimans, eos oportere asservari in secretis; sed potius brevi & perspicuâ methodo Doctrinam suam proponere, ut ex ejus relectione Alexander repeteret, & ad memoriam revocare posset, quæ hætenus à Præceptore suo audierat. Hanc autem Methodum Regibus atque Principibus esse idoneam, patet è Ptolomæi Philadelphi desiderio, quem, refert Proclus, ab Euclide requisivisse, an esset aliqua in Mathematicis Regia methodus, quæ per compendium iis Disciplinis imbui posset, tulissetque responsum, nullam esse.

RATIO II. Quia Justinus, Philosophus, uti acutissimus, ita solidissimus, qui floruit temporibus Galeni, & Alexandri Aphrodisiensis, refert, non solum Librum illum Aristotelis esse, verum etiam à veteribus Philosophis Compendium Philosophiæ Aristotelicæ fuisse vocatum. Quæ ratio quoque Theologum gravissimum, Hieronymum Zanchium permovit, ut, hunc Librum Aristotelis esse, nullatenus dubitaverit. Nam *Lib. 1. de Oper. Creat. Cap. 3. Quest. 1.* ita scribit: *Recepta est apud omnes fere, qui Aristotelem proficiuntur, opinio, Aristotelem sensisse, Mundum à nomine fuisse creatum. Verum hæc sententia, meo quidem iudicio, cum iis quæ in Libro Θεοῦ & κόσμου scripta reliquit, stare non potest. Nam ibi contrarium planè docuit, Mundum nimirum à Deo esse factum, & initium habuisse. Oportet igitur aut dicere, Librum hunc Θεοῦ & κόσμου non esse Aristotelis Librum, aut Aristotelem, quam in Physicis*

Libris

Libris defendis sententiam, in illo Libello retractasse. Id quod magis credo, suffragantibus mihi non paucis doctis Viris, tam veteribus, quam recentioribus, præsertim, cum Justinus dicat, Librum Aristotelis & xosus Compendium Philosophia Aristotelicæ olim appellari solitum fuisse.

Objic. 1. Aristotelem in Libris atque Operibus suis non solere uti promissio, quod tamen in Libro de Mundo reperitur.

Resp. Fallacia est consequentis. Nam Aristoteles in suis Scriptis quoque non tolet alloqui suos Discipulos. Id autem facit Libr. 2. Elench. Cap. 9. in-
quiens: *Εἰ δὲ πάντες Θεωροῦντες ἡμῶν, ὡς μὴ ἐκ τούτων, τῶν ἐξ ἀρχῆς ὑπο-
χόντων ἐστὶν ἡ μέθοδος ἱκανῶς, παρὰ τὰς ἄλλας παραγωγείας τὰς ἐν παραδόξῳ
ὑποθέσεις. Διὸν δὲ ἐν πάντων ἡμῶν, ἢ τῶν ἀκουσάντων ἔργον, τοῖς μὲν παρα-
δοξοῦσι τῆς μεθόδου, συγγνώμην, τοῖς δὲ ὀρθοῦσι πολλὴν χάριν εἶναι, i. e. Si
discipulis tæ methodus, syngnômyn, videtur non esse hæc methodus extalibus
igitur vobis, scripta nostra inspiciensibus, videtur non esse hæc methodus extalibus
initio extantibus perfecta, si comparetur ad alias tractationes, quæ ex traditione
sunt auctæ: quod reliquum est, vestrum, Auditorumve partes erunt, ea, quæ ad
methodi hujus consummationem sunt prætermissa, veniâ dignari: quæ vero sunt
inventæ, multâ prosequi gratiâ. Quis autem hinc concludet, Libros illos Elea-
chorum non esse Aristotelis?*

Objic. 2. Multa in illo Libro contineri, quæ aliis ipsius dogmatibus, in
cæteris scriptis contentis, aperte contradicant.

Resp. Iterum fallacia est consequentis.

Ratio 1. Quia in aliis Libris, qui vulgò Aristotelis esse creduntur, sibi
quoque in os contradicit. Ita Lib. 1. de Cælo, Cap. 2. Text. 5. dicit, *πάντα τὰ
φυσικὰ σώματα καὶ μεγέθη εἶναι κινητὰ καὶ τόπων. Τὴν γὰρ φύσιν κινήσεως εἶναι
αὐτοῖς: Omnia corpora naturalia, magnitudinesve mobiles per se loco esse. Natu-
ræ enim ipsi insitum esse principium motus. Et tamen Lib. 2. Cap. 14. Text. 101. in-
quit, *ὅτι ἀνάγκη, εἶναι τὴν μέσιν εἶναι τῷ αἵματι, καὶ ἀκίνητον, necessariò terram in me-
dio, atque immobilem esse. Ita Lib. 1. Meteor. Cap. 10. ait, rorem & pruina non
generari flante vento, sed Cælo sereno atque tranquillo. Et tamen paulò
inferius eod. Cap. asserit, spirante Aquilone rorem fieri solere, non verò Au-
stro. Plures contradictiones qui desiderat, adeat Petrum Gassendum
Exerc. 8. contr. Arist. p. m. 186. & seqq. Causa autem hujus rei mihi videtur
duplex: 1. Quia Aristoteles paucos Libros vivens emisit, sed reliquos
omnes Tyranno, quem postea, nominis hujus absurditatem evitans, simul
etiam studii ejus facundiam significans, Theophrastum appellavit, emen-
dandos, si opus esset, reliquit. Hic autem Theophrastus, quia Præceptoris
sui Doctrinam in omnibus non fuit amplexus, sed suo Marte multa scripsit,
& commentatus fuit, nec Præceptoris, nec suos Libros evulgavit, sed eos
omnes Neleo Scyphio, Corisci filio, Discipuloque suo, & tùm suarum Ari-
stotelis Bibliothecæ unico ab ipso constituto hæredi, fortè etiam emendan-
dos & corrigendos, reliquit, qui eos postmodum in duo exemplaria de-
scripsit, quorum altera Ptolomæo Philadelpho vendidit, à quo in Biblio-
thecam Alexandriæ fuerunt reposita, altera autem Scyphin, in suam Pa-
thecam, detulit, & hæredibus, hominibus imperitis, qui ea incluserunt, & ne-
gligenter posita tenuerunt, reliquit. Hi autè ea metu Regum Attalicorum,
sub quibus erant, quorumque studium sentiebant conquirendorum libro-
rum, ad instruendam eam Bibliothecam, quæ Pergami erat, in fossam
quandam sub terram oculuerunt. Deinde cùm seculis posterioribus eru-
u fuissent, inventi fuerunt laceri, & tinea blattisque rosi, ac humiditate**

ipsâ terrestri labefactati. Inde Athenas fuerunt perlati, & ab *Apellicone* Teio empti, magis etiam temerati. Mox iidem Libri Romam, *Syllæ* operâ, cum vestrî fuissent, tantâ sunt contextus labe inventi, ut *Tyrannion*, quidam Grammaticus, annotante Strabone *Lib. 13. Geograph. p. m. 581.* & *Joh. Franc. Pico Mirandulâ, lib. 4. Exam. Doctr. & Vanitat. Gent. Cap. 5. p. m. 672.* supplendi & emendandi curam suscepit, frustra quæ cesserit negotium, adeo, ut ab exscriptoribus etiam imperitis magis sint vitiati. Tandem *Andronicus Rhodius* venit, qui primus *Aristotelis* Libros, quantum fieri potuit, distinxit, & in ordinem redegit; monente *Mirandulâ, loco citato*, & *Angelo Politiano, Oper. p. m. 227.* Hinc factum, ut *Peripatetici* omnes, qui post *Theophrastum* ante *Andronicum Rhodium* vixerunt, paucos habuerint Libros, vid. *Exotericos*, i. e. eos, qui ab *Aristotele* ipso, dum adhuc in vivis erat, fuerant publicati. Qui autem fuerint, cogimur *ἐπιγινῶσθαι*. Saltem hoc ex suprâ dictis constat, *Librum de Mundo* inter eos contineri. De pluribus vide *Patricium Discus. Peripatet. Tom. I. Lib. 5. p. m. 70, 71. &c.* 2. Quia *Aristoteles* multa naturaliter asseruit, quæ tamen ipse non credit. Exempli, qui petit, consulat *Antonium Bernardum Mirandulanum, Eversf. singul. certam. Lib. 28. Sect. 2. Lib. 39. Sect. 9. & Lib. 40. Sect. 1.*

Ratio 2. Quia non solum *Aristoteles*, sed etiam alii *Authores*, aliis atq; aliis *Auditoribus* aliter atque aliter soliti fuerunt scribere, uti de *Theophrasto*, *Platone*, & ipso *Aristotele* demonstravit *Franciscus Patricius* in suis *Discussionibus Peripateticis*. Adeo, ut nemo mirari debeat, *Alexandrum* in *Libro de Mundo* multa scripsisse, *Alexandri* gustui accommodata, aliis verò *Libris* aliter docuisse.

Objic. 3. Stylum in Libro de Mundo dicitur ἄλλο πρῶτον distare à stylo reliquorum librorum Aristotelis.

Resp. 1. Styli diversitas non necessariò infert diversitatem authorum. Stylus enim ab uno & eodem Authore pro lubitu potest variari, habito respectu rerum, de quibus scribit, & personarum, ad quas scribit. Ita *Epistolæ* *Ciceronis* ad *Atticum* alio stylo sunt exarata, quàm, quæ ad familiares vocantur, & tamen eundem habent authorem. Ita in *Orationibus* *Ciceronis* major dicendi vis est, quàm in *Libris* de officiis, & tamen ejusdem sunt authoris. Ita *Epistola* *Pauli* ad *Hebræos* videtur aliquantum alio stylo exarata, quàm aliæ ipsius *Epistolæ*. 2. Ita ergo ex consequenti è diversitate styli, quæ in *Libro de Mundo*, & reliquis *Aristotelis* *Libris*, reperitur, non licet concludere diversitatem authorum: cum, uti nuper dictum, *Aristoteles* datâ operâ stylum suum mutârît, & dilucidiorē adhibuerit, ut vid. *Alexander*, quæ hætenus tanto labore per aliquot annos à *Præceptore* suo didicerat, brevi tempore, & momento quasi, repetere, ac ad memoriam revocare posset. Et huc pertinent, quæ *Augustinus Steuchus Eugubinus, Lib. 4. de perenn. Philos. Cap. 4.* scribit: Hunc, inquit, *Librum* illius esse probat majorum autoritas, qui eum appellabant *Philosophiæ suæ ἑρμηνεύς*, Compendium, quod post omnia, quæ nunc habentur passim, cum jam provec̃ta ætatis, jam gravis annis, ad *Alexandrum* scripsit. Totamque in hoc libro breviter & dilucidè, ad Imperatorem vid. cui non esset in obscurissimis *Philosophorum* sententiis tempus insumendum, explicavit traditam aliis in *Libris*, additis nonnullis, *Philosophiam*. Propterea loquutus est explicatius & apertius, quàm aliis in *Libris*. Loquuntur enim *Senes* dulcius, cum posito juvenili calore, & inan is gloriæ, quam sæpe ex sermonis obscuritate captamus, cupiditate veriora loquimur & clariora, &c.

Ut au-

Ut autem ad rem ipsam redeamus, clarissimè, uti credo, ex dictis patet, Aristotelem minimè Providentiæ Divinæ sublunaria subtraxisse.

Obijcit autem inter alia Joh. Gerardus Vosius *Lib. II. de Orig. & Progress. Idol. Cap. 45. p. 558.* quia in sublunariis hisce sint infecta, cloacæ, & vilia id genus, quibus vilesceret mens Divina, ut saltem particulatim ea nosse dedecet; idcirco Aristotelem negasse, Providentiam Dei ultra Lunam se extendere. Citat in hanc rem *Lib. 12. Met. Cap. 9.* ubi inter alia Aristoteles dubitativè ait: *ἢ καὶ ἀποπνέει ἐν αἰθέρι*: i. e. an verò absurdum est, eam de quibusvis cogitare; & tandem negativè concludit, Deum nihil extra se cognoscere.

Resp. 1. Atqui Hieronymus in *Comm. in Hab. Cap. 1.* idem ferè dicit, inter alia scribens: Absurdum est, ad hoc deducere Dei Majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur pulices, quotve moriantur. Quæ cornicum, pulicum & muscarum sit in terra multitudo? Quot pisces in aqua natent? & qui de minoribus majorum præda cedere debeant. Imò ipse Paulus *1. Cor. 9. 9.* ait: *Μὴ τῶν βοῶν μέλει τῷ Θεῷ*; Num boves cura sunt Deo? Anne autem Adversarii dicent, Apostolum Paulum, & Hieronymum negasse, Dei Providentiam ad minimas quasque res se extendere? Non credo, id dicturos, sed potius, comparatè eos esse intelligendos, responsuros. 2. Idem ergò de Aristotele nostro esto iudicium, qui non simpliciter & absolutè videtur negare, Dei providentiam ad minima quæq; sublunaria se extendere, sed tantum κατὰ τι & comparatè, quòd non tantà providentiâ à Deo cognoscantur, ac res reliquæ: Genuinam hanc esse loci hujus Aristotelici explicationem, docent alia quàm plurima Aristotelis loca, quibus omnia à Deo cognosci disertè asserit. E multis pauca placet seligere, & benevolo Lectori ob oculos ponere. *Lib. 3. Met. Cap. 4. Text. 15.* taxat Empedoclem, dicentem, Deum non intelligere contentionem, quia sic Deus felicissimus cæteris minùs esset sapiens, qui discordiam & contentionem cognoscunt. *Lib. 12. Met. Cap. 2. & 7.* Deum facit auctorem omnium rerum. Atqui notum est, Deum eas res, secundum Aristotelem, non ignorare, quarum est author. *Lib. 1. Oecon. Cap. 3.* ait, Divinâ providentiâ Viri & Mulieris societatem or-

tem ordinatam esse, dum ait: *Sic enim Divinâ Providentiâ utriusque natura ordinata est, Viri scilicet, & Mulieris, ad societatem.* Ergò secundum Aristotelem Vir & Mulier à Deo cognoscuntur. Ex quibus patet, non nudè, crudè & ἀπλῶς locum illum Aristotelis esse explicandum, sed cum grano salis accipiendum, & comparatè, ac secundum quid intelligendum. 3. Posito autem, simpliciter eum sumi debere, tamen exinde non posset probari, alibi Aristotelem contrarium non asseruisse ac defendisse. Homo enim fuit Aristoteles, qui sibi contradicere potuit, & actu quoque contradixit, uti suprâ dictum. 4. Adversarius proprio ore se convincit. Nam si absolutè, & absque omni respectu, Deus nihil extra se potest cognoscere, quomodo aliquam poterit habere notitiam rerum cœlestium? quam tamen juxta Aristotelis sententiam Deo denegare non audet. Maneat igitur firmum & ratum, aut Aristotelem heic sibi contradixisse, aut ἄν' ἢ esse intelligendum.

Sed satis de primâ Assertionem.

II.

Dei Providentia secundum Aristotelem ita versatur circa hunc Mundum, ut cum omnibus causis secundis Deus immediatè concurrat ad effectus producendos. Antequam hanc nostram assertionem probemus, demonstrandum est, quomodo aliqua causa dicatur agere mediatè, vel immediatè.

Mediatè aliqua causa dicitur agere dupliciter, vel

1. *Mediatione virtutis*, quando agit virtute non suâ, sed aliunde communicatâ, quemadmodum v. gr. Luna illuminat hunc Mundum, virtute & luce, non suâ, sed à sole mutuo acceptâ.

2. *Mediatione suppositi*; quando inter causam & effectum aliquod intercedit suppositum, uti inter fabrum & Statuam, quam efficit, est securis.

Immediatè contrâ dicitur quoque aliqua causa agere dupliciter, vel

1. *Immediatione virtutis*, quando agit virtute propriâ, & non aliunde communicatâ. Ita Sol luce propriâ præsentem hunc Mundum illuminat.

2. *Immedia-*

2. *Immediatione suppositi*, inter quam & effectum nullum aliud suppositum intercedit, quo pacto aqua manum dicitur abluere & refrigerare.

His ita prælibatis ac præsuppositis, dico

I. *Deum, secundum Aristotelem, concurrere cum causis secundis immediatè, immediatione Virtutis*. Patet hoc ex *Libr. 8. Phys. Cap. 4. & 5. Text. 33, 34, 35, 36, 37.* &c. ubi Aristoteles constituit primum movens absolutè, quod omnia & singula moveat, ipsum verò neque per se, neque per accidens moveatur. Quibus clarè innuit, primum Motorem, seu Movens, vid. Deum T. O. M. virtutem suam aliunde non participare, ac commodare.

II. *Deum concurrere cum causis secundis immediatè immediatione suppositi*. Pater hoc ex *Libr. 12. Met. Cap. 9. Text. 51.* ubi Aristoteles subtilissimè concludit, primi Intellectus intellectionem esse ipsam ipsius substantiam, aliàs, ait, substantia ex se non esset optima, quia per intellectionem ei præstantius & honorabilius inesset. Idem procedit de Voluntatis actu. Itaque, secundum principia Aristotelis, Operatio Dei, seu primæ causæ, attingit causas secundas, earumque effectus, & illa Operatio est Substantia Dei. Ergo substantia Dei per se effectibus præsens est. Deinde, cum Deus agat in omnia, omnia conservet, sequitur quoque, omnibus rebus esse præsentem. Ratio: quia, juxta Aristotelem, nihil primò in rem distantem agere potest, quemadmodum expressè docet *Libr. 7. Physic. Cap. 2. Text. 9.* Ergo nec primus Motor.

III.

Causa prima, vid. Deus, concurrat cum causis secundis, secundum Aristotelem, non solum ratione actionis, sed etiam ratione principii, i.e. concursu non solum simultaneo, sed & prævio, quo causas secundas ad agendum promoveret. Patet hoc iterum ex *Lib. 8. Phys.* ubi per actualem motionem rerum ascendit ad primum Motorem, & docet, ab eo omnia moveri, ne detur progressus in infinitum. Merito ergo miramur cum Complutensibus *Disput. 11. in 8. Libros Phys. Quest. 2. S. 3. Sect. 12.* multos Viros doctissimos hanc Doctrinam, ab Aristotele tam clarè expressam, non vidisse. Declarat autem hoc inter alia *Text. 33.* hoc exemplo: *Baculus lapidem movet, & movetur à manu, quæ ab homine movetur, hic*

autem non amplius; nempe in ordine causæ particularis, alias daretur progressus in infinitum. Ita debet dari absolute primum Movens, secundum discursum Aristotelis, ne eatur in infinitum: quia omnia, inquit *eod. Text.* ab alio aliquo moventur, idque frequenter repetit, ascendendo ad movens immobile, seu primum Motorem, sine quo reliqua moventia non posse movere *ibid.* luce meridianâ clariùs asserit. Ita *eod. Lib. Cap. 5. Text. 37.* ait: *Tria necesse est esse, id, quod movetur, id, quo movet, & id, quod movet. Id igitur, quod movetur, necessarium quidem est moveri: at movere necessarium non est. Id autem, quo movet, & movere, & moveri, nimirum, necesse est.* Ex quo infert, rationabile, imò necessarium esse, dari tertium, quod movet, immobile, corroboratque testimonio Anaxagoræ, qui mentem, quam dixit primum movere & segregare omnia, impatibilem, immobilem, & mixtionis expertem fecit. Huc quoque facit *Text. 41. Lib. 8. Phys.* ubi expressè ait, causam primam plus movere, magisque influere in effectum, quàm secunda, quia influxus causæ secundæ pendeat à prima. Nam quod est, inquit, prius, magis causa est, ut moveatur, quàm id, quod heret, atq; ideo etiam magis movebit. Etenim bisariam erat movere, aliud quidem, quod ab alio ipsum movetur, aliud verò se ipso. Plura ex mente Aristotelis qui desiderat, adeat Conimbricenses in *Comment. in Lib. 8. Phys. Cap. 5. Text. 37. Petrum Keuzæum Conclus. Tripert. in Lib. 2. Physic. Disput. 5. Quest. 4. Concl. 1. & Gisbertum ab Ifendorn Medull. Physic. pm. 280.*

Ad hæc, & similia, loca Adversarii excipiunt tria:

Excip. 1. Aristotelem ne 2ẽ quidem alicubi de ejusmodi prævio concursu scripsisse, præsertim in Libris Physicorum, ubi solummodo agat de naturalibus motibus, qui sensu percipi possunt, & de corporibus moventibus ac mobilibus.

Resp. Exceptio hæc est insufficiens. Ratio: quia Aristoteles in *Lib. 8. Phys.* è prædictis secundis moventibus investigat primum Motorem, qui sit immobilis, infinitus, &c. à quo omnia moveantur, & sine quo nihil moveatur, quod movetur. Probat autem hoc, quia inferiora moventia non moveant, nisi prius mota, sive præmota; & cum non sit procedendum in infinitum, concludit, deveniendum esse ad primum Motorem immobilem. Falsum ergo est, ipsum tantum agere de corporibus

ribus moventibus & mobilibus, cum luce meridianâ clarius fit, ipsum quoq; agere de subordinatione harum causarum ad primum Motorem, nempe Deum, de quo statuit, quod moveat hæc inferiora moventia, ad hoc, ut operentur suos motus.

Excip. 2. *Intelligendum esse Aristotelem de Motione communiter dictâ, quâ causæ secundæ necessariae producuntur in esse, & conservantur à prima causâ.*

Resp. Falsum hoc est, & contrariatur menti & scopo Aristotelis, qui, uti jam sæpius dictum, loquitur de causis secundis, quatenus in operando dependent à prima, uti patet ex exemplo baculi, suprà allato, qui non movet, nisi à manu moveatur. Loquitur ergo Aristoteles de dependentia baculi, &, per consequens, aliarum causarum secundarum, à manu, non in essendo, uti Adversarii clamant, sed in movendo, in operando:

Excip. 3. *Loqui Aristotelem de concursu, non prævio, sed simultaneo. Idem enim dici, Deum movere causas secundas, quia agat unâ cum illis per concursum simultaneum.*

Resp. Falsum hoc est, & iterum menti & scopo Aristotelis apertè contrariatur. Ratio 1. Quia secundum Aristotelem causæ secundæ moventur à prima ad agendum. At per concursum simultaneum causæ secundæ non moventur ad agendū. Ratio Rationis: Quia nihil movet aliud, nisi agendo in illud: At concursus concomitans, seu simultaneus, non est influxus in causam, sed in effectum, quia totum esse illius est esse fieri effectus. Quomodo ergo per illū causâ secundâ potest moveri ad agendum? Ratio 2. Quia Aristoteles ubique intendit salvare & asserere, nobilitatē, excellentiam, præstantiam, & dignitatem primi Motoris. At per solum concursum simultaneum non salvatur, non defenditur, sed potius destruitur dignitas primi Motoris. Ratio: quia infert mutuam dependentiam in influxu, causæ primæ & secundæ. Ratio Rationis: Quia, sicut actio causæ secundæ non potest esse sine concursu Dei, ita neque concursus iste, juxta eorū suppositionem, sine influxu causæ secundæ esse poterit, alioqui non esset concursus simultaneus. Demonstrant hoc complutenses Disp. II. sup. 8. Lib. Phys. Quest. 2. §. 3. Sect. 15. & ex illis Philippus à Sanctis. Trinitate, Prim. Secund. Quest. II. Art. 2. Concl. unic. p. m. 541. exemplo illuminationis Solis. Nam etiam si

Deus per concursum alterius rationis posset illuminare, sine Sole, tamen illuminationem Solis non potest efficere sine Sole. Ratio 3. Quia, hâc sententiâ positâ, Adversarii non possunt ostendere, quâ ratione Aristoteles devenerit ad Unum primum Motorem, qui omnes causas secundas moveat, & sine quo nihil possit movere, quod movet.

Objic. Locus Libr. 3. Physic. Cap. 3. Text. 18. ubi Aristoteles de prædictis causis secundis asserit, agens ut agens non mutari. Ergo, secundum Aristotelem, queunt cause secunda agere, quin mutantur. Ex quo concludunt, secundum ipsum, Deum causas secundas ad agendum non præmovere. Ratio: quia si talis præmotio, seu prævius concursus, poneretur, cause secunda mutarentur: Ratio Rationis: Quia reciperent aliquid intrinsecè, quod antea non habebant.

Resp. Stramineum est telum, quod in nos Adversarii vibrant. Ratio: Quia Aristoteles non dicit, agens nullo respectu mutari, sed, agens, ut agens, non mutari, quo voluit innuere, quod talis causa secunda, seu agens, non mutetur per suam actionem. Ratio: Quia illa actio ordinetur ad immutandû passum, & non agens. Hinc autem non sequitur, nullo respectu causas secundas mutari, quatenus vid. considerantur, non ut agentes, sed ut patientes, in quantum nimirum à causa prima immobili præmoverentur.

IV.

Aristoteles nequaquam fâto omnia fieri asseruit, ita, ut illud fatum vim necessitatis asserat. Injuriam ergo ipsi faciunt Cicero & Pomponatius. Ratio hæc est: quia libertatem ubique actionum humanarum asseruit, aded, ut in nostra potestate & libertate sit, virtutibus vel vitiis operam dare, benè vel malè agere. Ita Lib. 3. Eth. ad Nic. Cap. 5. ait: In nobis certè est situm, nos probos, vel improbos esse. Et Libr. 1. Magnor. Moral. Cap. 8. inquit: Ideò justum, quatenus justum, nemo fortunatum dicit; & ne quidem fortem, nec prorsus quenquam alium virtute præditum. In nobis siquidem est, hæc habere, vel non habere.

Deum autem, quod attinet, eum liberè quoque, & non ex necessitate agere, non obscurè quibusdam in locis innuit Aristoteles. Nam Libr. 4. Top. Cap. 5. expressè dicit, Deum quædam operam facere posse, quæ non facit, Lib. 8. Eth. Cap. 7. ait, Deum

ait, Deum erga bonos habere amicitiam. Quæ certè non necessitatis, sed libertatis esse videntur. Pro eodem quoque, monentibus Conimbricenses *Libr. 8. Physic. Cap. 2. Quest. 6. Artic. 2.* facit, quòd, referente Laërtio in *ejus Vita*, antequam ex hac vita discessisset, Deum orasse perhibetur, ac religionis causa testamento quædam fieri commendasse. Quod certè eum non fuisse facturum verisimile est, nisi credidisset, Deum precibus flecti, & piis hominum actionibus ad benefaciendum allici, atque aded nonnulla esse, quæ ex libertate & arbitrio suo agat. Hinc quoque *Libr. de Mundo, Cap. 6.* inquit: Omnes deprecaturi ad Cælum manus tollimus. An autem hoc est asserere Fatum Stoicum? An hoc est omnem libertatem Deo in agendo adimere?

V.

Quinta & ultima assertio: *Aristoteles non solum universalia, sed etiam singularia, & minima quæque Divina subjecit providentiæ.* Assertio hæc ex hætenus dictis atque allatis tam clarè patet, ut nemo sanæ mentis, atq; emunctæ naris, eam in dubium vocare aufit. Cur enim Aristoteles ubique in *Lib. 8. Physic.* asserit, omnia à primo Motore moveri? Cur Deum principium & causam omnis Entis adstruit? Cur sine eo nullas in hoc Mundo posse fieri generationes & corruptiones *Libr. 12. Met. Text. 34.* constanter docuit? Cur *Libr. 1. Occ. Cap. 3.* asseruit, Divinâ providentiâ Viri & Mulieris societatem ordinatam esse? Cur in *Libro de Mundo* clamavit, Deum sine dubio esse Servatorem omnium, & Parentem eorum, quæ in Mundo conficiuntur? Abeant ergo, qui Aristotelem perversi hujus dogmatis accusare non erubescunt. Mitius porro nobilissimum hunc Philosophum tractent. Seponant parumper affectus suos pravos atque sinistros, & absque ulla invidia, vel zelo præpostero, Aristotelis scripta percurrant, ea diligentius expendant, scrupulosius in trutina collocent, ac quænam ejus genuina fuerit de his & aliis controversis quæstionibus sententia, sedulò inquirent & investigent, ac, inventam ex Scriptis ejus propriis demonstrent atque confirment. Ita suæ, ita Aristotelis bonæ consulent famæ.

Quis autem interea non miretur summam impudentiam atque dementiam Adversariorum, remis velisque eò contendunt, ut variis calumniis, quas in Aristotelem evomere solent, eum totius Mundi odio atque ludibrio prostituant atque exponant? Longè prudentior fuit Alexander M. Rex Macedoniæ, qui, referente Antonio Coccio Sabellico *Ennead. 4. Libr. 4. pag. m. 538.* aded Doctrinam in Præceptore suo fuit admiratus, ut eum non minùs se amare, quàm Patrem, sæpiùs prædicasset. Hinc quoque ob Tractatum de Historia animalium octingenta ab eo ipsi fuisse oblata talenta, refert Gulielmus Budæus, *Libr. 2. de Assè, & ejus partib. p. m. 76.*

Ad *Ανακρίων* aliorum quoque argumentorum nunc esset procedendum, & illa proponenda ac refutanda. Malui autem ea Actui Disputationis reservare, quàm fusè heic illorum refutationi incumbere. Sufficiat nobis impræsentiarum, demonstrasse, non tam absurdam, tam erroneam fuisse Aristotelis de Providentia Dei circa hunc Mundum, opinionem, quàm ea hactenùs à quamplurimis ipsius Adversariis atque osoribus fuit depicta.

C O R O L L A R I A.

I.

Philosophia Theologiæ nequaquam contrariatur.

II.

Logica est necessaria ad alias scientias acquirendas.

III.

Rectè statuitur esse pars Philosophiæ.

IV.

Vniuersalia sunt realia.

V.

Dantur formæ substantiales.

VI. Deus

V I.

Deus plures Mundos potuisset creare, si voluisset. Quapropter miror, quosdam Viros celeberrimos hoc dogma, tanquam ἐπεὶ ὁ Θεός, publicè proscribere, & ad Orcum ablegare.

V I I.

Iris fuit etiam ante Diluvium.

V I I I.

In homine non sunt tres animæ, vegetativa, sensitiva, & rationalis, sed unica tantum, vid. *Rationalis*, subscribente & ὁμοψήφῳ ipso Augustino Tom. III. Lib. de Eccles. Dogmat. Cap. 15. p. m. 198. & Lib. de Spir. & Anima, Cap. 48. p. m. 888. inter alia ita scribens: Nec duas animas credimus esse in uno homine, sicut multi scribunt, unam animale, quâ animetur corpus, & immixta sit sanguini, & alteram spirituale, quæ rationem ministret. Sed dicimus, unam eandemq. animam esse in homine, quæ & corpus suâ societate vivificet, & semet ipsam suâ ratione disponat, habens in se libertatem arbitrii, ut in suâ substantia eligat cogitatione, quod vult. Libertati siquidem arbitrii sui commissus est homo: postquam verò deceptione serpentis per Evam cecidit, naturæ bonum perdidit, pariter & vigorem arbitrii: non tamen electionem, ne non esset suum, quod emendaret peccatum, &c.

I X.

Anima rationalis est indivisibilis.

X.

Eadem est immortalis.

X I.

Quemadmodum omnia mendacia damnamus, ita quoque Papicolarum æquivocationes & reservationes mentales in totum rejicimus.

X I I. Pro-

XII.

Proscribimus quoque illud dogma Pontificiorum, quo asserunt, & verbis & factis, hæreticis non esse servandam fidem.

XIII.

Graviter quoque dicimus errare 1. Multos è *Medicis*, in morbo periculoso dicentes ægroto, nil esse periculi. 2. *Advocatos*, qui malas agunt & defendunt causas. Hi enim semper malè agunt. Et si scientes mala defendunt, impudenter mentiuntur. Judices quippe fallunt, innocentem injustè pecuniâ suâ emungunt, justam causam opprimunt, &c. teste ipso Ambrosio, qui in *Sermone quodam* ait: *Redde, quod accepisti; quoniam contra veritatem fecisti, iniquitati adfuisisti: judicem fefellisti; justam causam oppresisti; de falsitate vicisti.* Et alicubi Augustinus: *Nihil impudentius arrogantia advocatorum, qui garrulitatem auctoritatem putant; quod non de professione, sed illius accipiendum abusu.*

XIV.

Monachos illos negamus esse verè pauperes, qui voce & habitu paupertatem profitentur.

Μόνω τῷ Θεῷ δόξα.



un,
ter-

de-

re-

nn.

es

es

ti-

-

;

-

.

